



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio XI. Terebinthus, sub qua arbore Jacob idola infodit, figura
perelegans SS. crucis dominicæ.


[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

6. Caeterum plures Sancti ac Sanctae Dei similes videbant caeli
 scelas. S. Pardulpho S. Michael Archangelus candidam scalam usque Nadal. in
 ad caelum pertingentem ostendit, Anno caelst. cuius summitati ipse DEUS erat 21. Decembr.
 innixus, qui S. Pardulphum, ut eò ascenderet, & coronam gloriae à se
 acciperet, peramanter invitavit.

S. Romualdus Camaldulensium Monachorum Fundator, qui in
 summa vitae austeritate annos centum & viginti DEO inserviit, simi- Brev. Rom.
 lem scalam à terra caelum pertingentem conspicatus est, per quam 7. Febr.
 homines in veste candida ascendebant & descendebant.

V. F. Leo inter primos & charissimos S. Francisci Seraphici so- Ex Chronico
 cios duas scelas juxta se invicem positas, unam rubei, alteram candidi Minorum lib.
 coloris, usque ad caelum porrectas vidit, in apice rubicundae scela 6. cap. 17.
 stabat Christus, in candida B. Virgo suos in caelum invitantes Clientes.

Agite Christiani! Ecce parata est vobis similis caeli scala; ve-
 nite ad crucifixum JESUM & SS. Matrem ejus
 dolorosam &c.



CONSIDERATIO XI.

Terebinthus, sub qua Jacob idola info-
 dit, figura SS. Crucis Dominicae.

*Ego quasi Terebinthus extendi ramos meos, & rami mei
 honoris & gratia. Eccli. 24. 22.*

1.

Jacob Patriarcha, cum tandem post longam servitutem cum co-
 piofa familia in patriam reditum pararet. ut ibidem stabilem se-
 dem figeret, statuit quanto cyus universam suam ab omni idolo-
 latria expurgare familiam; in quem finem DEO T. O. M. pub-
 licam aram ex solido lapide, quem oleo prius intunxerat, aedi-
 ficavit, serio imperans omnibus ac singulis suis domesticis, ut deos
 alienos & idola Labani, quorum cultui prius addicti erant, abjice-
 rent, & horum loco DEO vero, vivo & unico pro omni possibili
 modo inservirent. Parenti domesticis omnes, & non solum aurea
 idola,

Gen. 35. 4.

idola, sed & pretiosas in aures ad pedes Jacobi abjiciunt, quæ omnia prudentissimus ille Patriarcha sub Terebintho arbore infodit: *Dederunt ergo ei omnes deos alienos, quos habebant, & in aures, quæ erant in auribus eorum; at ille infodit ea subter Terebinthum.* Res admiratione digna! An non poterat Jacob hæc idola aurea ac pretiosas domesticorum in aures melius pro familiæ suæ comodo, vel in sacros, vel in pauperum usus applicare? Ut quid aurum, cui acquirendo orbis tantoperè inhiat, tanquam rem vilissimam abjicit, & in terræ visceribus, unde tanto labore erutum est, de novo sepelit?

R. ad hoc Cornelius & alii, quod Jacob quidem potuisset aurea ista idola in alios, melioresque convertere usus, sed noluit, ne quod superesset idololatriæ vestigium, ut sic suis domesticis majorem istorum idolorum ingeneraret execrationem, & ita omnes, ablata occasione, ad liberiùs soli vivo ac vero DEO inservirent, in quem finem cuncta ista aurea simulacra confregit, & in pulverem redacta subter unam Terebinthum infodit: Et cur subter unam Terebinthum?

Rup. Abb hic, & Cornel. in Eccli. 24. 22.

R. Rupertus Abbas, quod per hanc arborem Terebinthum, quæ optimam, tenuissimamque fundit resinam, nil aliud quam SS. Crux Dominica fuerit præsignata, sub qua omnia mundi idola ac peccata hætenus fuerunt defossa, & imposterum sunt & erunt defodienda: *Terebinthus, inquit, arbor resinam generans pretiosissimum lignum crucis, quod virtutis est optima, significat, subter quam omnia peccata nostra sepeliuntur, ne ultra ullum vestigium reperiatur.*

Josue 24. 26.

2. Josue invictissimus bellidux juxta ac pientissimus, ubi paulò ante beatum obitum suum populum ad Dei timorem ardenti concione extimulavit, & novo fœdere Deo adstrinxit, lapidem tulit pergrandem, quem in signum & perenne initi fœderis monumentum erexit; *Posuitque eum subter quercum, quæ erat in Sanctuario Domini.* Et cur subter quercum?

S. Aug. hic apud Cornel. Ecclesia in hym. S. Cruc.

Respondent Septuaginta Interpretes, quercum illam fuisse Terebinthum, & per istam Terebinthum, subintrat hic S. Augustinus, fuisse designatam SS. Crucem Dominicam, & quemadmodum Terebinthi lignum medicinales exsudat lacrymas, ita crux medicina facta est totius generis humani: *Ipse lignum tunc notavit, damna ligni ut solveret, & medelam ferret inde, hostis unde laserat.*

Gen. 35. 4. Gen. 12. 6.

Observat ulterius Masius: Terebinthum illam fuisse eandem cum illa, sub qua prædictus Jacob Patriarcha aurea Labani idola defoderat, & sub qua DEUS Abrahamo primò apparuit, eique & semini ejus terram illam desiderabilem promisit; unde non sine causa Sapia

Eccli. 24. 22.

divina se ipsam comparare voluit Terebintho: *Ego quasi Terebinthus ex-*

tendi

tendi ramos meos, & rami mei honoris & gratia; Supra quod Cornelius à Lapide: Terebinthus, inquit, sub qua Jacob idola defodit & obruit, figurabat Christum; Christus enim idola & idololatriam sepelivit & sustulit, ex cujus corpore terebinthina, resina pretiosissima, defluxit in cruce, per cujus sanguinem à peccatis abluti, redempti, ac liberati sumus.

3. Ex qua descriptione colligere possumus, duo esse in Terebintho potissimum consideranda, protectionem videlicet sub ejus gratissima umbra contra venenatos serpentium incursum, unde lemma: *In-Infesta infestis*, & medelam ad diversas hominum curandas ægrotudines, sunt enim Terebinthi folia, fructus, cortices & semina valde medicinalia.

Plus SS. Cruce & fructus ejus, protegit enim ab æstu libidinis & variarum tentationum, quia *rami ejus honoris & gratia*, & medicinam præbet omnibus resinis præstantiorem iis præsertim, qui periculosis animæ subjecti sunt infirmitatibus.

4. Si igitur te, anime mi, infestat superbiæ spiritus, elationis ac vanæ gloriæ, crucem respice, & sub hac saluberrima Terebintho arrogantia idolum infode, dicendo cum D. Bernhardo: *Quid superbit terra & cinis? En Filius Dei scelerato postponitur latroni, & vilissimus terræ vermiculus adeò in tumescat? Ille se humiliavit usque ad mortem, Philipp. 2. 8. mortem autem crucis, & ego quid? Ah nos miseros: Cùm sex, cùm limus, cum res vilissima simus; unde superbumus?*

Si avaritia te tentat, ad Crucifixum propera; En DEUS tuus & homo Christus totus nudus pendet in cruce, in qua dedit omnia, quæ habuit, ut pretiosam margaritam, animam tuam, ab interitu redimeret. *Matth. 13. 46* Et tu sordide, ne quidem unum obulum pauperi Christi personam gerenti subministrabis?

Si caro confurgit adversus spiritum, citò recurre ad Terebinthum crucis & ad SS. Vulnera Christi, & tentatio recedet à te. Experto crede Augustino: *Cùm me pulsat, inquit, aliqua turpis cogitatio, recorro ad S. August. in Vulnera Christi: Cùm me premit caro mea, recordatione Vulnerum Domini mei Matth. 21. resurgo. Cùm diabolus mihi parat insidias, fugio ad viscera misericordiæ Domini mei, & recedit à me.*

Si invidia animum tuum in diversa rapit, considera JESUM & hunc crucifixum, qualem ipse de suis inimicis vindictam sumpsit: *Pater, inquiebat, dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt. Et tu invidet Luc 23. 34. peccator, qui toties infernum promeritus es, non vis ob amorem Crucifixi JESU ignoscere fratri tuo? An ignoras, quòd sicut ærugo ferrum, sic invidia animum consumit, hominèmq; convertit in dæmonem?*

Ginther Unus pro omnibus.

F

Si

Si gula te infestat, recordare absynthii, quo Dominus tuus in
 Matth. 27. 34. cruce potatus est: *Et dederunt ei vinum cum felle mistum.* Imitare in
 hoc piissimum Henrici Francia Regis exemplum, cui inter regales
 epulas in aureo catino semper loco primi cibi allata, & in mensa ap-
 posita fuit devotissima quaedam crucifixi JESU imago cum lemmate:
Cibus anima.

Si ira vehemens te accendit, & ad vindictam provocat, siste
 Jerem. 11. 19. motum, & pensa, quod DEUS tuus, *tanquam agnus mansuetus ductus*
 Isa. 53. 7. *sit ad victimam, non aperiens os suum;* Non ergo convenit, ut tu lupum
 agas, & in ira in caelum ulules, Deumque blasphemem: *Qui enim blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur.*
 Levit. 24. 16.

Si denique acedia & animi subrepat tepiditas? Considera JESUM
 & hunc crucifixum, quomodo à primo vitae instanti usque ad mor-
 tem crucis pro salute tua laboraverit: *Ego autem in laboribus à juventute*
 Psal. 87. 16. *mea;* Et tu quid pro JESU crucifixo haecenus fecisti? Ah *nondum usque*
 Hebr. 12. 4. *ad sanguinem restitisti.*

5. Vides ergo ex his omnibus, anime mi, quod reverà ad edo-
 manda nostra vitia non efficacius remedium inveniatur, quàm me-
 ditatio Crucifixi JESU, sub qua saluberrima Terebintho omnia vi-
 tiorum tuorum idola te oportet infodere: *At ille infodit ea subter Tere-*
 binthum. Imitare Jacobum Patriarcham.
 Gen. 35. 4.

Vis memorabile exemplum? Petrus Barliarius Doctor Salerni-
 tanus, vir apprimè doctus, sed Negromanta, ubi duo illius nepotes
 Fortunatus & Secundinus aliquando patris sui Bibliothecam fuissent
 Quaresm. 10. ingressi, & librum apertum superstitiosis plenum characteribus ac dae-
 5. cap. 5. monum refertum nominibus vidissent, more puerorum characteres
 exempl. 1. illos, quibus Barliarius daemona conjurare solitus erat, deleverunt;
 Et ecce sine mora apparuit eis caterva daemorum, qui teterrimo aspe-
 ctu ac ululatibus suis adedò exterruerunt pueros, ut ambo mortui in
 terram deciderint. Accurrit inter alios domesticos & Barliarius ad hoc
 lugubre spectaculum, & quia maturiori intellectu (annum enim tunc
 agebat ætatis nonagesimum) suum agnovit errorem, ac penitenti-
 tià ductus in Ecclesia S. Benedicti palam sua peccata confessus est, ubi
 ante imaginem crucifixi Domini flexis genibus & multis cum lacrymis,
 tribus diebus ac noctibus perseverans, has ad pientissimum Redem-
 ptorem suum preces fudit: *O Domine JESU! Tu dixisti: Nolo, nec desi-*
dero mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat. Peccavi Domine, &
magnam confiteor miseriam meam, ut illam tuâ magnâ deleas misericordiâ. Tu
extensa habes divina tua clementia brachia, in illa me anxie currentem suscipe,
& à facie tua ne projicias me. Aperi oculos tuos, & vide afflictionem meam,
exaudi

exaudi me clamantem ad te. *Aperi mibi SS. Vulnera tua, & intra pietatis tua viscera suscipe me &c.* Hæc & similia cum dolore & lacrymis fatus, divinam impetravit misericordiam, dum Salvator in cruce oculos aperuit, Petrum benignè aspexit, & in signum reconciliationis ei caput inclinavit. Contigit hoc anno 1149, die 25. Martii.



CONSIDERATIO XII.

Cruce Dominica Baculus Jacob, cujus ope nos oportet hujus sæculi transire Jordanem.

In baculo meo transivi Jordanem istum. Gen. 32. 10.

I.

Quis non miretur, quòd Jacob Patriarcha tantoperè æstimaverit baculum suum, cujus ope Jordanem fluvium feliciter quondam pertransiit? Audiamus ipsum loquentem, & de baculo suo gloriantem: *In baculo meo transivi Jordanem istum, & nunc cum duabus turmis regredior.* Et quare ille baculus in tanto honore & æstimatione? Adverte: Colluctabatur aliquando Jacob de nocte intempesta cum Angelo, in qua lucta reportavit nervum femoris vehemènti percussione & collisione luxatum ac claudum: *Et ecce vir luctabatur cum eo usque mane, qui cum videret, quòd eum superare non posset, tetigit nervum femoris ejus, & statim emarcuit;* Et quia nervus pedis ad ambulandum inutilis factus est, baculum in itinere adhibere coactus fuit, cujus adminiculo Jordanem fluvium rapacissimum feliciter pertransiit; proinde lætus de hoc felici successu de se ipso testatus est: *In baculo meo transivi Jordanem istum, cui baculo pro lemmate inscribo: Infirmum firmat.*

Hic sensus literalis est, sed alium & mysticum ego inquirò. Subintrat hic S. Augustinus: Baculus, inquit, ille Jacob crucem Dominicam præsignavit, in hoc enim baculo Christus Dominus turbulentam passionis Jordanem transmeavit, & cum duabus turmis, unâ Angelorum, quorum implevit ruinas, & alterâ hominum in cœlestem patriam reversus est.